

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XV.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122)

bita inde offerenda sunt. Vult enim Deus agnosci se datorem esse bonorum: & vicissim omnes homines pro suis facultatibus aliquid ad hunc usum conferre, vt vera de Deo doctrina in publico ministerio ecclesie & scholis largè spargatur, & Sacerdotes ac ministri Dei docentes in templis & scholis alantur. Tertio, Amici iuuandi sunt, de quibus dicitur: *καὶ τὰ φίλων κοινὰ*. Quarto, Alijs pauperibus *ἐκ τῆς ἀρχῆς* Eleemosynæ largiende sunt, vt Prouerb. 5. præcipitur: Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus eorum maneto. Hæc beneficentia erga pauperes declarata, præmijs amplissimis post mortem in æterna vita certo compensabitur. Ideo Paulus hortatur diuites, vt alijs liberaliter communicent, & reponant sibi thesaurum in futurum, & apprehendant vitam æternam. Et idem monent Parabolæ, Luc. 16. de diuite & Lazaro. Item de Oeconomio iniquo: Facite vobis amicos de Mammona iniusto, vt recipiant vos in æterna tabernacula. Hac occasione locum communem, de morte, cui omnes homines, diuites & pauperes, pariter obnoxij sunt, in fine capituli Syracides attexit.

## Caput XV.

Studium  
sapientie.

**B**EATUS qui diligenter & sedulo tractat verbum Dei, docetq; atq; interpretatur illud. Beatus qui hoc meditatur apud se ex corde, totusq; incumbit vt penitus intelligat. Qui pergit subinde magis inquirere sapientiam, tacitusq; eius vestigia insequi, quocunq; ambulat. Qui inquam, sollicitus respicit per fenestras eius, & attentus aurem admouet ostio eius. Qui diuersari captat in vicinia domus eius, suumq; tabernaculum erigit ad parietem eius, hocq; diuersorium magni facit. Qui liberos quoq; suos adducit ad lectum illius, & manet sub tugurio eius, ibi tutus erit ab asu, & erit hoc illi excellens & magnificum habitaculum. Hoc nemo facit, præterquam is qui timet Dominum. Et qui adheret verbo Dei, hic inueniet eam. Et obuiam veniet ei quasi mater filio, amplectetur eum quasi formosa sponsa dilectum, cibabit eum pane intellectus, & aqua sapientie potabit eum. Per illam sic corroborabitur, vt stet firmus, & huic sustentanti adhererebit, vt non pudeat. Exaltabit eum super proximos, & os illi aperiet in ecclesia. Coronabit eum gaudio & letitia, & nomen æternum dabit ei. Sed stulti non inueniunt eam, & impij non possunt cernere eam. Longè enim abest à superbia, & hypocrita prorsus non nouerunt eam. Impius nihil sane potest docere: non enim docet ex Deo. Nam ad veram doctrinam requiritur sapientia seu co-

seu co-

seu cognitio Dei, & tum Deus impertit gratiam. Ne dicas, si falsa docui, tunc Deus fecit. Quod enim ipse odit, tu non debebas facere. Ne dicas, si falsa docui, ipse me decepit. Neque enim Deus eget opera impij. Odit enim Deus omnem idolatriam, & qui ipsum timet, abhorret ab illa. Deus ab initio creavit hominem & electionem dedit illi, Si vis, serua mandata, & fac quod illi placet in vera fide, proposuit tibi ignem & aquam, utramcunq; voles, attinge. Propositam habet homo mortem & vitam, utramcunq; vult, dabitur ei. Sapientia enim Dei est magna, Et valde potens est ipse, & videt omnia, & illius oculi respiciunt timentes eum, ipse nouit tum rectè & pie facta, tum etiam hypocrisin. Neminem iubet esse impium, & nemini potestatem facit ad peccandum.

Deus non est causa mali.

Libertum arbitrium.

Est adhortatio ad studium discendi & propagandi doctrinam à Deo traditam. Et inseritur, vt in adhortationibus vsitatum est, mentio præmiorum & pœnarum. Diligenter & sedulo discens & amans verbum DEI acquirit sapientiam, veram agnitionem Dei, & gubernationem consiliorum, & actionem vitæ placentem Deo & felicem. Habebit firmam consolationem in omnibus periculis, & fruetur lætitiâ & gloria æterna. Econtra stulti & impij Epicurei & alij, qui derident vel persequuntur doctrinam euangelij, errant in consilijs, doctrinis, & actionibus vitæ, & Dei odio & æternis pœnis tandem obruentur. Insignis autem & pulcherrima Prosopopeia sapientiæ obseruetur, quam confert formosæ sponsæ, habitanti in domo splendida, videlicet ecclesia Dei, in templis & scholis collecta, sonante assidue vocem veræ doctrinæ, Verbi diuini, per quod solum DEVS rectum iudicium, salutaria consilia, veram sui agnitionem & æternam salutem hominibus impertit. Ne dicas si falsa docui, tunc Deus fecit. Altera pars capituli vtilem & necessariam doctrinam, Stoicis furoribus opponendam continet. Omni enim contentione pugnandum est, ne quis in ecclesia Dei dicat Deum esse autorem peccati, vel approbare peccata, vel impellere homines ad impia dogmata, idolatriam, & alia scelera. Sed horum prima & proxima causa est LIBERTVM ARBITRIVM, seu mens & voluntas hominis: cui in prima creatione, Deus, bonum & malum, vitam & mortem proposuit, & hanc facultatem indidit, vt posset velle & non velle, eligere aut reijcere, imperare externis membris vel prohibere, verè & serio expetere vel auersari, agere aut omittere bona vel mala sine vlla coactione. Ad hanc facultatem naturæ humanæ ante lapsum proprijsimè congruit dictum Syracidæ & definitio liberi arbitrij, quod sit facultas, qua mens hominis bonum & malum agnoscere & discernere, & voluntas vtrumuis, bonum vel malum, eligere & efficere potest. Etsi autem post lapsum libera electione Adæ & Eux admissum, hæc facultas mentis & voluntatis horribiliter impedita & labefactata est cœcitate & contumacia nobiscum nascente, tamen manet adhuc in hominis voluntate aliquo modo libera electio in  
ijs re-

Chv  
ijs rebus & actionibus, quæ rationis humanæ iudicio subiectæ sunt, vt in vitandis sceleribus à Deo prohibitis & honeste regendis moribus externis, in actionibus artificum, in discendis artibus liberalibus & mechanicis & in motu locali hominis quocunque. Deinde etiam in spiritualibus actionibus, & interiore obedientia Deo debita, vt in vero timore Dei, fide, inuocatione, patientia, dilectione, homo renatus, iuuante Spiritu sancto, obedire Deo, & viciosis inclinationibus resistere, & vitam & salutem æternam expetere: vel rursus à Deo deficere & mortem æternam sibi attrahere potest. Semper tamen vera & immota manet regula, qua 15. caput Syracides concludit, Deus neminem iubet esse impium, & nemini potestatem facit ad peccandum.

## Caput XVI.

Liberi felices & infelices.

**N**OLI letari, quod multos liberos habes, si sint parum frugi, & ne superbias, te multos liberos habere, si non timeant Deum, ne glorieris in ipsis, neque confide viribus ipsorum. Nam melior est vnus filius pius, quam mille impij, & melius est sine liberis mori, quam liberos habere impios.

Prouidentia Dei puniens scelera.

Unus homo pius, sepe totam urbem & rempublicam restituit: Econtra per impios, quantumuis multi sint, tamen euertitur & ruit. Multa eiusmodi vidi, per tempus vitæ meæ, & multa adhuc plura audiui. Ignis deuorauit totam multitudinem impiorum, & ira exarsit aduersus incredulos. Non pepercit Gigantibus antiquis, qui vna cum suo robore immani euersi sunt. Non pepercit his, apud quos Loth hospes fuit & peregrinus, sed damnauit eos propter superbiam, totamque vastauit terram, nihil commiserans, eo quod peccata exaggerauerant, ita quoque hausit & abstulit sexcentena millia, eo quod inobedientes fuerant. Quomodo ergo vnum obedientem dimittet impunitum? Valde quidem misericors est, sed irasci etiam nouit: patitur quidem se placari, sed punit etiam horribiliter. Quam magna est misericordia eius, tam magnum etiam est iudicium & castigatio eius, & quemlibet iudicat, vt est promeritus. Impius cum sua impietate non effugiet, & spes pij non frustrabitur. Benefacta inueniunt locum suum, & cuiuslibet rependetur vt est promeritus. Noli dicere, Dominus me non respicit, quis in celo